

**De perspiratione cutanea : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Fridericus Haver.**

Contributors

Haver, Friedrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1829.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k68aktcp>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DE
PERSPIRATIONE
CUTANEA.

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
FRIDERICUS HAVER,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
J. MARTINS, MED. ET CHIR. DRE.
H. QUINCKE, MED. ET CHIR. DRE.
G. DEUTECOM, MED. CAND.

BEROLINI
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX TILDEN FOUNDATION

515 FIFTH AVENUE

NEW YORK

1901

1902

1903

1904

1905

1906

1907

1908

1909

1910

1911

1912

1913

1914

1915

1916

1917

1918

1919

V I R O

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

PATRUO CARISSIMO

D. H A V E R

SUMMO SACRORUM ANTISTITI

1890

COLLEGE OF THE CITY OF NEW YORK

LIBRARY OF THE CITY OF NEW YORK

NEC NON

H. H.

NEW YORK, N. Y.

PATRI SUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

C. H A V E R

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LITERATURA

LIBRORUM, QUIBUS USUS SUM, TANTUM OPTIMOS
ADFERO.

- A. de Haller*, Element. Phys. corp. hum. T. V. a. 1769.
F. B. de Sauvages, Nosolog. Meth. T. IV. a. 1796.
C. W. Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde.
Bd. I., XIV., XVII., XIX., XXI., XXXIV., XXXVIII.
J. C. Reil, über die Erkenntniß und Cur der Fieber.
Bd. 3. u. 5. Halle 1805.
Hartmann's allgem. Pathologie. Wien 1823.
J. B. Friedreich, Handbuch der patholog. Zeichenlehre.
Würzburg 1825.
Dr. *C. A. W. Berends* Vorlesung. über prakt. Arznei-
wissenschaft, herausg. v. *Karl Sundelin*, Med. Dr.
Berlin 1827.
-

§. 1.

Antequam perspirationem cutaneam ipsam perscrutandam adgredior, paucis verbis de organo monebo cujus superficies magna hac secretionem fungitur. Hocce organon, cutis, totam corporis superficiem tegit, et quasi a rebus externis claudit; nec superficiei internae omnino deest, licet valde mutatum. Diversis laminis constituitur, scilicet: corio, rete Malpighii et epidermide. Epidermis structuram subpellucidam, corneam exhibet atque nulla sensibilitate praedita est, variis locis varia crassitudine gaudet, quoniam frictione et compressione crassior fit. Natura ejus anorganica esse videtur cum nec vasa nec nervos habeat. Ubique crines ex ea oriuntur atque folliculis sebaceis stipata est, pori ¹⁾, sic dicti, inveniuntur qui infundibuli formam prae se ferunt. Altera lamina, rete Malpighii tum finibus vasorum a corio ortorum tum muco constituitur. Deinde

¹⁾ Quamvis illa materia exhalata canaliculis non opus habere sed cutem dynamice et simul hygroscopice agere credo, tamen verbo poris utar ut notionem vulgarem sequar, atque illis loca designem quae expiranda secernunt. Foramina autem cum arteriis vasisque secernentibus cohaerentia, quae saepius quoque pori audiunt existere non credo.

ecorium, membrana satis crassa atque ductilis, e tela cellulosa constipata formatum, atque versus superficiem internam cum tunica adiposa conjunctum est. Innumerabilia vasa serosa et sanguinea multique nervi, qui papillas formant, in eo inveniuntur; folliculi sebacei ab eo originem ducunt atque parvo ore in superficie externa aperiuntur, quam mollem reddunt.

§. 2.

Hoc involucrum corporis humani, in conditione sana, materies aëriiformes et aquosas secernit, quas halitus a rebus frigidis politis condensatus nobis ad oculos demonstrat. Haec exhalatio vario modo fit, aut cerni viderique non potest aut satis bene in conspectum venit. Alterum genus, perspiratio insensibilis, halitum gasiformem, quem tantum accurata disquisitione ponderis nostri quodammodo sentire possumus, constituit, alterum, sudor, in dies observari potest, secretionem laticum aquosorum fungens, quae quoque motu ac nisu augetur. Illa in conditione sana semper procedat necesse est, hic autem tantum calore aut labore nimio producit. Praeterea inter utrumque nulla differentia interesse videtur nisi forma ita ut sudor quasi perspiratio insensibilis crassior et auctior sit. Quindecim guttulas perspirabilis halitus in unam sudoris guttam confluere Cel. *Leeuwenhoeckius* vidit.

„Invisibilis perspiratio fit visibilis quando motus major est ¹⁾. Sudor ex paucioribus ostiis dilatatis, perspiratio ex pluribus ²⁾.

¹⁾ *Galen, method. med. L. III.*

²⁾ *Ludwig, Phys. n. 465.*

§. 3.

Partes constituentes materiem perspirabilem hucusque haud satis definitae enumerari possunt, quamquam carbonicum, hydrogenium atque azoticum elementum ei inesse suspicandum est. Interdum in aegrotis alcalinam naturam sudor tenere videtur, sanorum exspiratio semper acida est ¹⁾. Odor peculiaris saepe ab ingestis pendet, nec constat illam materiem tali modo qualem excretam observamus jam in secretionem mixtam esse. Mihi quidem verosimillimum videtur eam jam oxygenio atmosphaerae dissolutam et mutatam esse. Pars constitutiva principalis aqua est, cui accedit acidum carbonicum; praevalent illae materiae invicem secundum aetatem, sexum, vitae genus e. a. Cel. *Thénard* multum aquae, paulum acidi acetici, kali et natri muriatici, minimum salis phosphorici atque oxydi ferrei vestigiumque substantiae animalis ei inesse censet. Cel. *Berzelius* haud illi sed *Scheelio* adsentit, illud acidum esse lacteum non aceticum. Praeterea cutis etiam materiam adiposam secernit. Quantum vero illae substantiae differant inde intelligi potest quod Cel. *Berthollet* in sudore infantum, helminthiasi affectorum, acidum phosphoricum librum invenerit. Cel. *Jurine* cutem eo majorem copiam carbonici amovere docet quo fortior atque validior homo sit; parvam tantum copiam secernere individuum quietum frigans seu febris rigore concussum aut ad majorem aetatem provectum. Variam quoque naturam sudor exhibet in singulis gentibus aut individuis, quod imprimis e differentia, quam inde

¹⁾ *Rauche's* Beobachtungen.

nationes barbarae praecipue Indianicae ducunt, constat, quae solo odore etiam cognoscunt num adsit hominis vel animalis vestigium. Ingestorum differentia vel maxime exhalationis naturam commutat e. g. illam ceparum, alii aut praesertim asae foetidae notam sibi vindicare ipse expertus sum. Etiam opium atque alimenta acida naturam suam sudori tribuere dicunt. Peculiaris perspirationis natura secundum varias corporis regiones, e. g. in pedibus, genitalibus, sub axillis, ab ejus dissolutione aut mixture cum cutis sebo pendet; tum ibi materiae acres quoque uberius secerni videntur propter frequentior frictionem ac inde proficiscentem stimulum. Foetor diffusus a regione costarum sane conditione quadam morbosa oriri videtur.

§. 4.

Experimentis quamquam frequenter et accurate institutis nondum definitum pondus materiae exhalandae erui potuit. Gravissima de hac re nos docuit *Sanctorius* qui per triginta annos in dies studio indefesso atque diligentia maxima hanc rem perscrutatus est. Cibos et potum atque sese ipsum pendit iteratis vicibus nec tamen summam assecutus est, quoniam resorptionem cutis, expirationem pulmonum, sputa sordesque haud spectavit.

Experimentorum a *Sanctorio*, *Keil*, *Robinson* et aliis institutorum quae *Illustr. Haller* ¹⁾ notavit, differentia sine dubio a virorum temporumque varietate pendet. *Cel. Cruikshank* experimentis, in ipso corpore institutis, invenit se omni hora perspiratione cutanea uncias tres et drachmas sex, itaque

¹⁾ l. c. T. V. p. 60.

nycthemera libras septem et drachmas sex amittere. Cel. *Lavoisier* et *Seguin* adultum omni nycthemera uncias quadraginta quinque (ponderis gallici) secernere putant, quarum partem unam expirationi pulmonum partes duas exhalationi cutaneae attribuunt.

Seguin sese sacco, solutione gummi arabici illito, clausit, linteo cerato super capite colligato, cujus apertura ori ope terebinthinae et picis agglutinata erat. Copiam expirationis libere in aërem ejectae accurate aestimare potuit, si sub fine experimenti justum examen sui ipsius ponderis simul cum involucris instituerit. Sacci pondere postea detracto copiam totam materiae exhalatae satis accurate definire potuit. Alimentorum omnium naturae commodorum aliarumque causarum in illam functionem agentium exactam rationem habuit. Inde Cel. *Lavoisier* et *Seguin* hanc summam concluserunt ¹⁾.

- 1) Maximum pondus perspirationis cutaneae, exhalatione pulmonum adjecta pondus 32 granorum pro sexagesima horae parte aequare, pro hora uncias 5, gros 2, grana 48, pro nycthemera libras 5.
- 2) Minimum libramenti damnum pro sexagesima horae parte grana 12 itaque libram 1, uncias 2, gros 4 pro nycthemera aequat.
- 3) Inter digestionem jactura illa ab exhalatione profecta, minima est.
- 4) Post ipsam coenam perspiratio est maxima.
- 5) Medium jacturae ab illa functione productae grana 18 pro sexagesima horae parte aequat, quorum 11 cuti 7 pulmonibus adtribuantur oportet.

¹⁾ Annales de Chimie. Tom. 90. p. 14.

- 6) Exhalatio sola cutanea propter coenam variat.
- 7) Pondus ejusdem individui post nycthemeram haud amplius variat nec secundum ingestorum copiam, nec secundum varietates atmosphaerae; sed omnino priori diei respondet, nisi individuum a norma vitae sueta multum recedit aut inter adolescentiae annos increscit.

Varia omnium illorum calculorum ratio mihi inde pendere videtur, quod numquam omnes conditiones, sub quibus instituti sunt, pariter se habere potuerint.

Cruikshank e. gr. si per aliquot horas in aëre libero incessit fere sesqui pondus amisit, ac si quiete se gessit.

§. 5.

Quam ob rem in ejusmodi experimentis instituendis omnium effectuum qui perspirationem augent vel minuunt praecipue ratio habenda est; augetur omnibus rebus calidis et calefacientibus, quia illis sanguinis circulatio acceleratur. Deinde ejus copia increscit majore liquorum ingestorum multitudine; nec minus exhalatio multiplicatur laxa cute atque vasis expirantibus debilibus. Etiam motus muscularis hic non omnino omittendus est, cum calorem producat atque consumptione materiae organicae augenda expirationem promoveat. *Cel. Home*, solis radiis inter ambulacrum expositus, per unam horam tali modo uncias 6 amisit. *Clar. Rye* inter motionem matutinam uncias 29 atque inter ambulationem horarum trium uncias 23. Frigus hibernum haud omnino exhalationem minuit, quoniam cutem irritat atque consumptionem materiae organicae auget, ut illa formanda calor quoque animalis increseat.

In universum sane temperies aestatis multo magis congruit halitus excretioni accelerandae quoniam sanguinis affluxus in peripheriam corporis, et hac ex causa, hujus actio frequentior redditur; cui etiam respondent observationes virorum *Celeb. Rye, Keil* ¹⁾ etc., qui aestate diebus $9\frac{1}{2}$ libras 27, hyeme diebus 27 libras 26 secretas invenerunt. Secundum *Sanctorii* praecepta perspiratio inter somnum acceleratur. Hyeme ergo, quando aër frigidus perspirationem minuit, longior in lecto mora requiritur, ut perspires quantum satis sit, ita docet *Rye*.

Verum non omnes auctores consentiunt v. c. *Linings* qui cum *Dodarto, de Gorter* et *Robinson* illam minoris aestimat.

§. 6.

Conditione illis contraria qualis est frigus, quies; vita inerte, spasmo peripherico halitus secreti copia imminuitur.

Clar. Keil contendit, in frigore et quiete perspirationem unius horae vix semiunciam aequare. Aëre humido, inter quem etiam minore copia vesчимur, tunc etiam celeri actione frigoris in corpus calefactum, qua vasa cutis spasmodice clauduntur illius multitudo etiam decrescit. Adeo vasa materiem resorbere atque tubo intestinorum organisque uropoëticis, quae cum cute antagonismum habent, advehere videntur. Semper etiam illorum functione aucta perspiratio decrescit et vice versa. Cu-

¹⁾ *Haller* l. c.

cutis rara alvus densa contendit *Hippocrates*. Secundum *Sanctorius* alvi fluxus perspirationem minuit.

Etiam cutis densa atque dura minus et lentius fungitur quam mollis et laxa.

§. 7.

Utilitas exhalationis cutaneae ab aliis sane majoris, ab aliis minoris justo aestimata est; gravissimam eam censuerunt *Asclepiades*, *Galenus*, *Sanctorius* aliique, quorum ultimus nempe dicit, hunc processum haudquaquam impeditum maximum bonae valetudinis signum esse, neminemque aegritudini corripui posse, qui libere perspiret. Secundum ejus sententiam integra valetudo conservatur, quando corpus absque sensibili evacuatione ad idem pondus rediit (nempe quando perspiratio maximam partem ciborum difflat). Stabilissima corpora sunt quibus intra aliquot annos pondus non mutatur, et male habent quibus est variabile; fluxile corpus est, quando perspiratio saepe interrumpitur et reparatur, ante morbum omnem perspiratio turbatur, indeque prima morbi semina dignoscuntur; ea diminuta corpus deficit, et totum corpus quando non perspiret laborat et quaeque pars.

Hippocrates bene exhalantes debiliores censet verum eos meliore valitudine frui atque celerius faciliusque convalescere putat. Alii contra monent infractiones a gentibus quibusdam institutas atque culturam cutis neglectam majus damnum inferre proptus esse; nec homines, qui antea majorem aut minorem copiam perspiraverunt, meliore conditione gavisi sunt, si perspiratio duplo vel tertio major facta aut ad priorem statum reducta est. Abusum illarum infractionum atque detrimentum malae cu-

rae hujus organi tum consuetudo tum saepissime quoque conditiones externae v. c. coeli natura, vitae genus facilia reddunt eorumque damnum imminuunt. Maximam quoque perspirationis utilitatem in servanda temperie aequa pono, quoniam ejus tantum ope coeli et tempestatis vicissitudines homo ferre propriumque calorem sibi vindicare potest. Deinde multum exhalatio cutanea ad rite formandum solidum vivum conferre credo, quippe ab arteriis materia illi formando advehitur atque omnia quae inter illum processum amovenda et discernenda occurrunt vasis lymphaticis traduntur, quae perspiratione aut urina ea excernunt. Unde constat mixtionem et compagem partium facillime vitiis affici, simulac organi colatorii functio laedatur. Ideo quoque in morbis qui crasin aut structuram succorum et organorum corrumpunt materiae noxiae cute aut renibus plerumque amoveantur. Quod vero minus ad sanguinem purgandum, quam ad solidum vivum ipsum reproducendum et formandum pertinet cum illi potius hepar et membranae mucosae, ut colatoria data sint, quae venis sanguinis maximam copiam atque diutius retinentibus scatent, itaque huic functioni magis conveniunt.

§. 8.

Paucis verbis hic de alia functione cutis mentionem faciam, scilicet de ejus resorptione. Quamquam illa sensu stricto haud meam rem spectare videtur, tamen eam huc afferro quoniam gravissima atque multis dubia est. Mihi haud levibus argumentis demonstrata esse videtur, e. g. efficacitate infriktionum mercurialium, jodinae, plumbi aliorum-

rumque metallorum actione tam facile noxia quamquam soli superficiei externae admoventur. Sitis etiam balneis imminuta, atque pondus iis auctum meae opinioni adsentiunt. Haud aliter efficacitas remedium externorum roborantium aliorumque quae inprimis in atrophia infantium adhibentur intelligi potest. Etiam coquos jam solis vaporibus ciborum multum nutrimenti accipere et quamquam parce edentes tamen mole corporis bene aucta gaudere observamus. Vestes aut lectum terebinthina contaminata urinae hujus odorem contribuunt. Ex aëre humido cutis tot resorbet, ut inde pondus augeatur, quamvis expirationem huic etiam conferre verisimile sit. *Celeb. De Gorter*¹⁾ nocturnam inhalationem ad 2 — 4 — 6 uncias aestimat. In aëre humido Jamaicensi perpetuo sudatur, neque eo minus mingitur, neque multum bibunt homines, equi vero et boves parum et raro²⁾.

§. 9.

Haec, ut credo, gravissima de perspiratione cutanea sufficient, itaque sudorem ejusque vitia adgredior, quem alii³⁾ eundem cum materia perspirationis insensilis alii⁴⁾ differentem contendunt. Secundum *Cole* diversa est hactenus materies, quod a perspiratione omne genus olei cutanei sebique absit: quod perspiratio neque flava neque oleosa neque viscida sit: quod sit fluidi tenuioris et aquosi

¹⁾ De insensib perspir. p. 244.

²⁾ Phil. trans. p. 27. Ligon barbad. p. 27.

³⁾ Bayle, p. 283. Secker, med. statist. n. 18.

⁴⁾ Cole cas. epileps. p. 70 sqq.

magis; quod ex ipso naturae consilio perpetim ¹⁾ exhalet, sudor vero sit morbi genus. Cui vero solummodo, si de nimio continuo atque a materie perspirabili discedente sudore sermo est, adsentio; nam modicum benignum haud continuum sudorem in plerisque hominibus qui optima valitudine gaudent observamus. Sane interdum etiam excretiones praeternaturales consuetudinis causa corpori opus sunt ita ut iis suppressis in morbum incidat; eorum natura autem cum sudore convenire nequit, cum hic regula, ille exceptio regulae sit. Quamquam autem res ita se habet, haud nego sudores existere periodicos aut continuos quibus individua pro sua valitudine bona relativa opus habeant, quales sunt post coenam aut in pedibus exorti. Pariter homines inveniuntur qui parce et rarissime sudant, etiam stimulis excitati, qui aliis sudorem provocant, nec tamen male se habent. Cum ejus copia haudquamquam satis definita sit, nimiam tantum existimare possumus, si corpori quodammodo detrimentum infert aut debilitat. Quod proxime pendet a stagnatione activa vel passiva succorum vel a multitudine, expansione seu corruptione eorum atque arcte cum energia vitali vasorum cohaeret plerumque nimia irritatione eorum oritur.

§. 10.

Ut jam progrediamur ad singula primum obvenit suppressio aut imminutio sudoris quae praesertim nocet si subitanea est, aut sudorem ob consuetudinem necessarium exstinguit. Quod detrimentum jam tironi tam notum est ut accuratius ex-

¹⁾ *Theophrastus* de sudoribus.

ponere superfluum habeam. Li autem acerrime refutandi mihi videntur qui dicunt, hanc suppressionem praecipue, vel solummodo mechanice morbos aliorum organorum e. g. pulmonum intestinorum aliorumque producere. Etenim credo potius ab antagonismo et consensu valido, quem in variis organismi partibus existere videmus, quam a materia mechanice transferenda originem ducere. Satis constat cutem prae caeteris egregiam sympathiam et antagonismum cum aliis organis habere, et ejusque excretiones saepius cum aliis commutari, utque vice versa ¹⁾).

Suppressionis causa proxima est spasmus periphericus, imprimis a refrigerio aut quoque anxietate aliisque productus. Interdum imminuitur exhalatio morbis aliorum organorum, qui succorum copiam imminuunt. Egregia eorum exempla praebent diabetes mellitus, diarrhoea aliique.

Affectiones illa extincta ortae, hae reperiuntur: Rheumatismus qui verbo ipso notionem quam de eo veteres habuerunt designat aequae ac catarrhus, rarius exstant diarrhoea, dysenteria, animi deliquia, apoplexia, paralysis, exanthemata. Hydrops potius propter morborum concomitantium naturam, quam propter sudorum suppressorum damnum post exanthemata acuta observatur. Sub fluxu haemorrhoidum et mensium gravissimae affectiones sudoribus suppressis oriuntur.

Singularis quoque illius sudoris species in pedibus saepissime observanda mentione digna videtur, quippe quae suppressae maximum detrimen-

¹⁾ Gräffe, Diss. de cute human. Lips. 1824. §. 8—14.

tum inferunt. Etenim reperiuntur homines quorum bonae valitudini omnino necessarius est ita ut ejus extinctio reproductionem organicam corrumpere videatur, nam pessimas affectiones praecipue nervorum eam sequi videmus.

Clar. *Lobenstein* iis naturam contagiosam inesse expertus est, cum usu tibialium et calceorum illis infectorum hoc malum translatum sit; etiam hereditarium esse observavit. In dies maximum detrimentum a suppressione perspirationis pedum oriri observamus, nam saepissime homines, pedibus frigore et humiditate affectis aegrescunt. Pares affectiones suppressionem sudorum axillarium sequuntur. *Celeb. Lentin*¹⁾ salubrem naturam eorum a foetore pendere putat quippe qui naturam noxiam materiae iis amotae notet.

§. 11.

Jam alteri anomaliae sudoris spectandae animum adverto, nempe: inmodico incremento. Ad hoc tantum continuus, quadam ratione organismo nocens, nec causa externa assidua productus, sudor pertinet. Quod genus peculiari morbosa vegetatione exortum, ephidrosis, ydros, sudor morbosus aut rectius sudatio morbosa nominatur. *Sauvages*²⁾ dicit sudorem respicere fluidum, cujus ephidrosis esse evacuatio; ephidrosin esse ad sudorem quod diarrhoea ad faeces, et sudationem ad ephidrosin quod dejectio ad diarrhoeam. Ephidrosin esse sudationem tum quantitate tum qualitate tum intem-

¹⁾ *Hufeland's Journ.* Bd. I.

²⁾ L. c. p. 598.

pestivitate, notabilem seu morbosam sudoris evacuationem.

Ἐπίδρωσις apud Hippocratem¹⁾ tenuem quandam sudorem ex toto corpore exortum, paucum et inutilem significat, aut eum, qui ex superioribus partibus circa frontem, jugulum ac thoracem effluit, earumque partium gravitatem, aut retentricis facultatis imbecillitatem indicat.

Ideo sudores benignos, criticos illis haud adjicio, qui naturam suam, aequaliter super totum corpus effusi²⁾ satis largi haud nimium continentes, sublevandis aut amovendis omnibus morbi symptomatibus probant. Antequam appareant cutis calida, humida, mollis, halans, pulsus magnus, undosus, mollis, respiratio paulum anxiosa facies tumida et rubra fit. Versus mediam noctem aut mane oritur, cutis humida et calida fit, pulsus regulares et molles exsistunt, aegrotus in universum melius se habet, atque somno profundo et quieto recreatur. Saepissime hanc crisin praecipue in febribus omnibusque morbis catarrhoideis et rheumaticis observari constat; quemcunque febris intermittens paroxysmum sequitur sudor quodammodo criticus. Singulare criseos genus sistit sudor in febre elode veterum et in febre anglica nostrum quae anno 1485 in Britannia primum observata est. Epidemica contagiosa acutissima fuit febris vasorum cui accessit sudor foetidus, vehementissimus, vires celeriter exhaustiens; in spatio

¹⁾ *Oeconomia Hippoc. auct. Foësius.*

²⁾ *Doron* sudorem criticum in juveni febre continua affecto inde a die 14 usque ad 20 protractum observavit qui digitos manuum tantum humectavit. (*Marquet. Traité pratique de l'hydropisie etc. Paris. 1770.*)

horarum 5 — 10 — 12 aliquando interdum 24. 48. saepissime aegrotus diem supremum obiit utplurimum ob peripneumoniam ¹⁾. Huc quoque spectat febris elodes Picardiae, ab incolis dicta la Suete, quamvis benignior febre anglica.

Praeterea existunt sudores symptomatici debilitantes et periculosissimi, plerumque topici dies criticos non tenent nec symptomata urgentia minuunt, calor mordax aut frigus, cutis sicca, pulsus acceleratus, durus sequuntur, quod plurimum in stadio cruditatis obvenit. Sudores, quorum causa nec interna nec externa, nulla febris nec alius morbus constat, debilitatem et atoniam cutis ostendunt.

Sudores frigidi signum virium prostratarum existunt atque rem in pejus verti demonstrant; cutis enim laxitate stipati sunt, vi vitali exstincta et ad partes internas recedente oriuntur. Sudores tepidi contra autem circulatione celeri sanguinis serosi proficiscuntur.

§. 12.

Quod attinet ad sudoris copiam, eum uberem, sive sit continens sive remittens, vires exhaurire observamus, imprimis si naturam foetidam, tenacem et colliquativam habet. Dissolutionem succorum, atoniam universam paralysin vasorum sudor nimius notat praesertim in febribus hecticis, putridis, nervosis etc.

Peculiarem naturam occupant sudores partiales qui locum affectum demonstrare dicuntur; ab circulatione inaequali succorum, spasmo et debilitate pendent. In variis morbis variis locis observantur;

¹⁾ Forest. Sennert.

inter spasmos scilicet caput, in epilepticis frontem, in affectione pectoris hoc ipsum, in arthritide pedes, in febre hectica volam manus, in hypochondriacis sanum aut perinaeum, in libidinosi genitalia occupant. Cel. *Razoux* ¹⁾ sudorem colli inter febrem putridam certissimum symptoma vermium esse pluribus observationibus demonstrat.

Proprius est sudor qui unum tantum latus occupat, a Cel. *Hartmann* ²⁾ accuratius tractatus.

Hanc sudoris speciem, quum hemiplegiae similissima sit, forsitan etiam a disharmonia nervorum et vasorum oriatur, parephidrosin, hemephidrosin nominem. Cui adsentit, plures existere observationes hujus mali in gravidis quae affectionibus nervosis maxime proclives sunt. Cel. *Hartmann* foeminae mentionem facit quae per totam vitam, sola graviditatis periodo excepto, nullibi vel arte vel sponte, sudavit nisi in latere sinistro. *Du Pui* ³⁾ similem casum commemorat.

Thilenius ⁴⁾ sudorem lateris dextri symptoma hepatitidis; *Mangold* ⁵⁾ aut dextri aut sinistri alternantem ut signum hypochondriae in se ipso, observabant. Quod sibi usu acetii accidere nonnulli homines mihi affirmarunt.

§. 13.

Anomaliae sudoris qualitativae variae occurrunt, secundum colorem, odorem etc.

¹⁾ Tables nosologiques et météorologiques Basle 1767. p. 224.

²⁾ Comm. de febr. quibusd. sudator.

³⁾ de affectionib. morb. homin. dextr. et sinistr. Amstelod. 1780.

⁴⁾ *Hufeland's Journ.* Bd. XVII. p. 90.

⁵⁾ Op. phys. med. edid. *Baldinger* 1769. p. 293.

Color mutatus periculum indicat, quamvis Celeb. Marcard ¹⁾ se hominem cognoscere affirmat, qui interdum inter optimam valitudinem, et minime naturam biliosam tenens, diu materiem herbacei coloris in pedibus exsudat. Sudor flavus plerumque secretioni impeditae hepatis substitutus est atque inter icterum lintea tingit; rarius critice aut in febre putrida biliosa quasi signum pessimum occurrit. Sudor niger et caeruleus in febribus malignis atque phtisicis symptoma mortis imminantis. Ephidrosis nigra Zacuti ²⁾ in individuis atrabilaris et melancholicis observatur. Talis affectio a scrupulo auri fulminantis oriebatur, observante Langelotio.

Bartholinus ³⁾ egregium exemplum sudoris nigri inter scorbutum memorat.

Dolaeus ⁴⁾ sudorem caeruleum hypochondrii dextri in melancholico signum constans esse observavit. In epilepsiae paroxismo faber lignarius sudorem caeruleum ex hypochondrio dextro fundere visus est a Winclero ⁵⁾ et a Mogio.

Sudor sanguineus ⁶⁾ pessimum signum in febribus malignis exhibet, succos funditus dissolutos ostendit. Huxhamius eum saepe in febribus putridis sub axillis observavit. Interdum sudor sanguineus

¹⁾ Ueber d. Natur u. d. Gebrauch der Bäder. Hannover, 1793. S. 272.

²⁾ Sauvages l. c. Joel Langelot collect. acad. T. III. p. 255.

³⁾ Acta med. et phil. ann. 1671. p. 155.

⁴⁾ Miscell. curios. Decad. I. ann. 6 — 7. p. 93.

⁵⁾ Coll. acad. T. III. p. 263.

⁶⁾ Alberti, Orat. de sud. cruent. Viteb. 1582. Gallandat, observ. de sud. sang. in com. societ. Harl. T. XIV.

vicarius ¹⁾ pro alia haemorrhagia v. c. menstruis
apparet, qui minus periculi affert criticamque na-
turam exhibet. Etiam post convulsiones violentas
aut, ut *Marcolini* memorat, per 5 menses gravidita-
tis sudor ruber obvenit. Similem casum enarrat
Bichat. Etiam a commotione nimia animi oriri posse,
ex historia *Gallandat* constat, narrat enim: nautam
existisse qui inter tempestatem vehementissimam
adeo anxietate vexatus esset ut mutus prosterneretur
atque guttulae sudoris sanguineae ab ore, collo, pec-
tore stillarent; procella finita rediit lingua.

Celeb, v. *Haller* ²⁾ haec enarrat: Sanguis ipse ³⁾
in summo aestu ⁴⁾; in motu vehementi ⁵⁾; a vita
vinolenta; ex terrore ⁶⁾; ex anxietate ⁷⁾; ex disso-
lutione sanguinis ⁸⁾ variisque ⁹⁾ causis visus est per
sudoris vias sequi, etiam minime malo eventu ¹⁰⁾,
manifesto argumento, vasa sudorifera arteriolis ru-
bris non valde minora esse, summa violentia san-
guinem indigere; ut in ea succedat ¹¹⁾.

§. 14.

Odor quoque sudoris varius observatur; acidus

¹⁾ v. *Goerter*, prak. med. lib. III.

²⁾ l. c. p. 50.

³⁾ Humor sang. simil. *Theophrast.* de sudor. p. 457.

⁴⁾ In africa. *Adanson.* p. 162. in insulis antillis *Helvetius*
pert. de sang. p. 87.

⁵⁾ In sphaeristerio *Sleevoigt* de sud. p. 21.

⁶⁾ *Schneider* de catarrh. L. III. p. 369.

⁷⁾ In servatoris exemplo.

⁸⁾ *Wallisner*, T. III. p. 305.

⁹⁾ *Welsch*, episagm. obs. 93 etc.

¹⁰⁾ *Schurig*, haematol. p. 285 etc.

¹¹⁾ Adeo copiosus, ut corpus omnino exsangue fieret, eventu
funesto in *Vigneul de Marville* misc.

exsistit saepius in catarrhis rheumatismis in puerperio aliisque. Celeb. *Sauvages* de ephidrosi acida dicit: esse symptoma miliaris, rachialgiae vegetabilis ephemeræ et lacteae et amphimerinae verminosae. In impedita secretione lactis sudor sero similis, pro illa vicarius observatus est.

Ephidrosis mellea *Rhodii* forsitan eandem rationem sequitur aut pro diabete mellito substituitur.

De sudoribus urinae similibus propter lotii suppressionem, *Clar. Günther* ¹⁾, qui ipse tali malo affectus est memorat. Post iter pedestre lintei sudore madefacti odorem urinosum esse sensit, quum per totam diem fere plane urina remansisset, licet multum biberet; sudoris expressi fere uncias 3 accuratius perscrutatus est; liquor subflavus odorem urinosum et gustum salinum prae se tulit, quo chemice disquisito materiem satis copiosam invenit, quae etsi nec in crystallos effingeretur nec alba esset sed massam subflavam facile conterendam constitueret, tamen odori allii similis et gustus acris salini erat atque haud multum a natura materiae urinosae discedebat. Multas alias leviores ejusmodi observationes omittens singularem solummodo specierum sudoris, quae aliquot exanthemata committantur, mentionem faciam. Psora sudorem mucidum, herpes empyreumaticum, variolae panis mucori similem, miliaria aceti mucidi speciem praebentem secum ferunt.

Exper. vir *Heim* ²⁾, sudorem in scarlatina odori casei veteris et haeccum similem esse contendit; aut foetori bestiarum carnivorarum, leonum, tigrium etc. Qui morbillis affecti sunt usque ad 7. diem odorem dulcem, postea acidulum secum ferunt; illum

¹⁾ *Salzburg*, med. chir. Zeit. 1817. Bd. III. S. 304.

²⁾ *Journ. d. prakt. Heilk. v. Hufeland u. Himly*. Berl. 1812. März - Heft S. 75 — 95.

subdulcem eandem speciem cum plumis nuperrime
evulsis anserum vivorum aut vix mactatorum obti-
nere dicit. Odorem hircinum in lepra atque nau-
seosum subdulcem in syphilide reperimus; foetor
molestus paroxysmos neurosium quorundam, hyste-
riæ, epilepsiae, melancholiae et hydrophobiae se-
qui solet. Odor teterrimus cadaverinus prodromus
mortis exstat ut argumentum dissolutionis organicæ.

Illustr. K. Sprengel ¹⁾ hoc vulgi opinioni de cla-
more canium et strigum congruere censet, quoniam
illæ bestiae odorantur cadaver.

§. 15.

Pauca adjicere liceat de cura illorum sudoris
vitiorum.

Suppressionem et diminutionem ejus remediis
diaphoreticis in universum curemus oportet. Huc
pertinent balnea tepida, laconica secundum Russorum
morem, vestitus fovens, frictiones, vesicantia etc., prae-
terea remedia interna diaphoretica qui vasa periphe-
rica stimulant et sanguinem expandunt; qualia sunt:
fortiora remedia aetherea oleosa, camphora, ammo-
nium, quæ omnia simul calefaciunt. Minus calida
sunt gummi ammoniacum, guajacum, sulphur, aco-
nitum; frigidis simillima, antimonialia, ipecacuanha,
et infusa herbarum diaphoreticarum, frigida salia
acetica et acetum ipsum et sal ammoniacum. Re-
media narcotica spasmus cutis resolvunt sed si-
mul excitant; emetica plane relaxant atque circula-
tionem accelerant.

Singula illa remedia secundum individui con-
ditionem atque casus rationem eligenda sunt.

Inprimis adhuc mentionem faciam de cura su-
doris pedum suppressi. Celeb. Lentin ²⁾ saepissime

¹⁾ Handbuch der Semiotik. Halle 1801. §. 1025.

²⁾ Hufeland's Journ. Bd. I. S. 182.

remediis notis sudorem restituebat rarius vero suetum foetidum, quem spiritum rectorem vocat; quo deficiente quoque utilitas sudoris defuit. Plus quam balnea et vaporationes pedum, maltum recens, tepidum pedibus insparsum efficit aut saccus foliis recentibus betulae oppletus pedibusque impositus, per noctem tibialia ex serica cerata viridi per diem ex vesica taurina furfuris ope mollis facta; quae quoque omnibus commendat qui saepe in frigidis et humidis locis versantur et facile refrigerio pedum afficiuntur. *Lobenstein* balnea arenae aut cineris calidi, sinapismos sub planta pedum, infrictiones, ope linimenti e spiritu cornu cervi et unguento hydrargyri cinerei \overline{aa} compositas laudat. *Clar. Neumann* per plures dies plantam pedis aceto lavare atque tunc corticem mezerei imponere commendavit.

Cardialgiae ab illa suppressione exortae hac ratione optime mederi dicit *Lentin*, quamvis cautissima manu adhibenda sit; Remediis excitantibus in pede applicatis; primum remedia antispasmodica simul cum diureticis praescribuntur, aqua calcis extractum trifolii fibrini et hyosciami praeterea linimentum diureticum ex oleo terebinthinae et aqua menthae ope vitelli ovi paratum. Proximus ventriculo cum renibus consensus est, iisque remediis efficacibus celerrime materies morbosa amovetur. Illis remediis si per aliquot tempus urinam augebant atque dolorem minuebant, remedia diaphoretica et stomachica substituenda sunt, excitantibus a pedibus amotis. Omnino aliam rationem teneamus oportet si ob constitutionem remediis emollientia externa opus sunt. Talis homo ab initio magis diaphoreticis sublevatur, quibus infrictiones regionis lumbaris cum oleo hyosciami diureticis linimentis substitutae adjungendae sunt; praeterea usus internus saponis cacao cum camphora multum valet.

§. 16.

In curandis vitiis copiae aut qualitatis sudoris primum spectandum est, an liceat illa mutare aut suppressere. Quod nullo modo fieri potest, in sudoribus chronicis, quibus bona valitudo opus habet, nec in criticis, quibus vero, ne nimium augeantur, cavere possumus.

Gravissima est inter illam curam causa remota atque remedia singulo casui et naturae sudoris applicanda. In universum temperies frigidiuscula potus commodus, operimentum leve maxime conveniunt, sordes gastricae et alia irritamenta amovenda. Sudori chronico continuo nulla febre stipato, cujus causam saepe nescimus, praecipue per noctem copiose et colliquative obvenienti atque inde profectae debilitati et maciei optime medetur infusum validum salviae aut quassiae, pariter commendantur acida mineralia, vinum acidum, cortex salicis, calamus aromaticus, omnia remedia amara et adstringentia. Celeb. *de Haen*¹⁾ agaricum album seu boletum laricis multum laudat, cujus grana jj . quoties vespere praescripsit, atque saepius jam post 3 dies sudor cessavit. *Percival*²⁾ foeminam usu extracti ligni campechiani (grana 15 omni quarta hora) cum aqua cinnamomi sanavit. Illustr. *Reil* spiritus sacchari cochlear, vasculo lacte asinino pleno immixtum, bis per diem datum commendat. Alii praeparata saturni praecipue plumbum aceticum commendant; quod vero facile periculum inferre puto. Francogalli infriktiones oleosas totius corporis cum illis conjungunt, quibus tales sudores sanari dicunt. Si fabula vera!?

¹⁾ Rat. med. T. XII. p. 251.

²⁾ Samrat. auserl. Abhandl. Bd. X. p. 202.

VITAE CURRICULUM.

Natus ego sum, FRIDERICUS HAVER, evangelicae confessioni addictus, die VIII mens. Jun. a. MDCCCV, Limburgae, Guestphaliae oppidulo, patre carissimo, CHRISTIANO HAVER, mercatore, matre e gente MÖLLER, quos parentes adhuc sospites veneror. Usque ad annum aetatis XVI primis literarum rudimentis domi imbutus sum. Deinde patruī summopere venerandi praeceptis traditus sum, cui usque ad vitae finem semper maximas gratias agam. Postea in Gymnasium, quod floret Tremoniae, directore Cel. KUTHAHN, me contuli, ubi per III annos studiis, quae tractari solent, operam dedi, et examine abiturientium superato, testimonio maturitatis instructus, universitatem aliam Rhenanā petii. Ibi a Rectore magnifico A. G. DE SCHLEGEL civibus academicis et a Cel. HARLESS, t. t. decano, facultati medicae adscriptus sum die XXIX m. April. MDCCCXXV.

Illic me docuerunt logicam Cel. VAN CALKER; botanicen Cel. NEES AB ESENBECK sen.; botanicen, pharmaceuticam et pharmacologiam Cel. NEES AB ESENBECK jun.; physicen Cel. DE MÜNCHOW; anthropologiam Cel. NASSE; encyclopaediam medicinae, physiologiam foetus ac anatomiam comparatam Cel. MÜLLER; osteologiam et anatomiam universalem Cel. WEBER; anatomiam specialem et anatomiam nervi sympathici Cel. MAYER; chemiam Cel. G. BISCHOF; physiologiam Cel.

INASSE; pathologiam et therapiam generalem et diaeteticam Illustr. HARLESS; morbos oculorum Generos. IDE WALTHER.

Tribus semestribus praeterlapsis in almam quae Berolini floret literarum universitatem profectus sum; ubi a Rectore magnifico LICHTENSTEIN et Decano spectabili Illustr. RUDOLPHI inter medicinae studiosos receptus sum, autumnus a. MDCCCXXVI. Interfui tunc praelectionibus quae sequuntur. Illustr. HORN de therapia speciali, de syphilide et de morbis mentis; Illustr. RUDOLPHI de anatome pathologica, ac de anatome sensuum organorum; Cel. SCHLEMM de anatomia universali; Illustr. RUDOLPHI et Cel. KNAPE artem cadavera secandi me docuerunt. Disserentes audiui Illustr. RUST de chirurgia; Cel. SUNDELIN de materia medica pluribusque repetitoriis in disciplinis medicis; Illustr. RUST et Cel. KLUGE de akiurgia; Cel. JÜNGKEN et Cel. SCHLEMM exercitationibus operationum in cadavere praefuerunt; Cel. KLUGE de ossibus fractis et luxatis audiui. Ad praxin medicam exercendam mihi erant duces Illustr. BARTELS per II semestr.; Illustr. HUFELAND, Cel. OSANN et Cel. BUSSE p. II sem. In praxi chirurgica ophthalmiatrica Illustr. RUST et Generos. DE GRAEFE mihi erant praeceptores; in exercenda arte obstetricia Cel. KLUGE me instituit.

Omnibus hisce viris celeberrimis experientissimis, quas fieri potest, maximas habeo gratias, easque in semperiternum servabo.

Jam tentaminibus, tum philosophico, tum medicis, nec non examine rigoroso, rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Inter medicamina nullum venenum.

II.

Aër nimis calidus graviora affert mala, quam nimis frigidus.

III.

In curanda hydrocele incisio ceteris operandi methodis praeferenda.

IV.

Haemorrhoides interdum organismo prosunt.



